

ARS DOMNI BONIFACII ARCHIEPI ET MARTIRIS

PARTES ORATIONIS PRIMUS ARISTOTILIS DUAS
festur tradidisse deinde donatus octo definiuit sed omnia dilla
duo principalia reuestuntur idest nomen & uerbum eo quod ex illis nata esse
dinoscuntur & eodem testante donato multi plures multi pauciores partes
orationis putabant ab illo autem hoc modo digestae repperiuntur. ~~Partes~~
Partes orationis sunt octo nomen pronomen uerbum aduerbium participi
um coniunctio praepositio interiectio. Nomen est pars orationis cum casu
rem corporalem aut incorporalem proprie communiterue significans.
Proprie ut roma tiberis sion. Communiter ut urbs flumen mons. Nomini accedunt
sex qualitas conparatio genus numerus figura casus. Qualitas nominum est qua
intellegitur utrum proprium nomen sit an appellatiuum. Species proprio
rum nominum quattuor sunt praenomen nomen cognomen agnomen. praenomen est
quod nomini praeponitur ut publius cornelius. Nomen quod originem familiae decla
rat ut cornelius. Cornelii enim omnes in eo genere dicuntur. Cognomen quod nomini sub
iungitur ut scipio. Agnomen uero quasi accedens nomen ut scipio africanus aut
metellus creticus quia cretam subegit. Appellatiuae autem quae communia sunt & mul
torum significatione consistunt in uiginti & iiii species diuiduntur. Primae
ergo speciei sunt corporalia quae uideri tangique possunt ut terra homo mare
Secundae incorporalia quae carent corpore & nec uideri nec tangi possunt ut
ueritas iustitia pietas. Tertiae primae positionis quae nec aliunde nascuntur
ut mons scola. Quartae diriuatiua ut montanus scolasticus quae a nomine de
ducuntur. Quintae diminutiuae ut scolasticulus paruulus. Sextae quasi di
minutiua origine tamen carentia ut tabula ferula macula. Septimae quae
ex toto grece declinantur ut themisto calisto sicenim & grecus & latinus dicit
Octauae quae ex toto in latinum conuertunt nam grecus dicit odiseus latinus
ulixes. Nonae media quae & notha ex parte greca sunt ex parte latina quae
corrumpunt ultimas syllabas manentibus prioribus ut apud grecos alexandros
menandros a gamen non. apud nos alexander menander a gamen no. Decimae
omonima hoc est uninomia quae in uno nomine diuersas significationes ha
bent ut aries aries. Undecimae sisonima idest plurinomia eo quod sit in plu
ribus nominibus significatio una ut terra humus tellus solum. Duodecimae
patronomica quae a patribus & a matribus auisque descendunt ut pelides atrides
ex his quae greca sunt siue masculina fuerint siue feminina greca regula me
lius proferuntur. Quorum masculina aut pdes exeunt aut per ius aut per
on ut atrides atrius atrion. sed on terminata latini non recipiunt. femini

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_1746/0331